

Benedictinus, qui S. Francisci, vel Benedicti regulam non observat.

III. In moribus et conversatione, si Christum imitetur et vestigia ejus sequamur, ut monet S. Petrus, I. Petr. II. Joannes: *Quid dicit se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, et ipse ambulare*, I. Joan. II. et Dominus ipse, Joan. XIII. *Exemplum dedit vobis, inquit, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*. Et hoc est quod toties monet S. Paulus ut exuentes veterem hominem, induamus novum, Dominum scilicet Jesum. Sed cur hoc? Primo, quia S. Augustinus ait, lib. de vita Christiana: *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur*. Redditque rationem: *Quid enim tibi prodest, inquit, vocari quod non es, et nomen tibi usurpare alienum? Utique nihilo plus prodest, quam quod quis rusticus aut mendicus vocetur cognomine comes, dux aut rex*. Imo a majorem confusionem et damnationem erit illi in judicio christianismus, cum larva ei detrahetur Franciscus Borgias dux Gandensis, postea societatis Jesu, cum accepisset impostorem quemdam tristem additum, quod se Franciscum Borgiam simulasset, jactassetque: *Si, ait, tristem addidit, qui meum nomen sibi vindicat, ut de me fieri, por est, qui non inane nomen porto peccatoris? Hæc ille pro sua humilitate, ut in ejus vita, lib. IV. cap. I. Viderit jam, quid mereatur, qui inane Christi, seu christiani nomen jactat et circumfert, cum sit interim peccator, impostor et hostis Christi*.

Altera ratio est, quia quivis salutis suæ cupidus quærere et eligere sibi debet peritissimum aliquem, qui salutis iter ei demonstret. Agnovit hoc et Seneca, qui in lib. de vita beata, cap. I. ait: «*Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantem, conteritur vita inter errores, etc.*» et mox: «*Decernatur itaque et quo tendamus, et qua non sine perito aliquo, cui explorata sint ea in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quæ in cæteris peregrinationibus conditio est. In illis comprehensus aliquis limus, et interrogati incolæ non patiuntur errare. At hic tristissima quæque vita et celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis præstandum est quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur.*» Sic ille. Neminem autem securiorem et peritiorem viæ cælestis ducem habere possumus, quam Christum Dei Filium, qui ad hoc e cælo venit, ut viam illam, quam habet exploratissimam, non verbo tantum, sed et conversatione demonstraret ac præeret. «*In vita, ait*

Clemens Alexan. I. I. pædag. c. III. tamquam in profundis errantes tenebris optimo duce opus habemus. Optimus autem dux est, non cæcos in foveam ducens, sed verbum, cui est visus perspicacissimus, etc.» Itaque in negotio omnium maximo quod est salus æterna, ducem sequi debemus omnium peritissimum, qui solus et unicus est Christus, proinde quomodo ipse ambulavit, sic et nos ambulare decet.

Tertia ratio, quia, qui dominis suis placere volunt, eorum gestus et mores imitantur; uti Clisophus Philippi Macedonis assentator, qui claudum se fingeat, quod Philippus fractum crus haberet; os et oculos eodem modo contorquebat, quo dominus. Clarisophus Dionysium tyrannum cum cerneret ridere fabulantem cum amicis, risit et ipse de procul; rogatus cur rideret: *Quod, inquit, ea putem risu digna quæ dicitis*. Idem Dionysius cum cæcutiret, assentatores alii ut eodem re vitio laborare fingerent, pocula patinasque in mensa velut cæci subvertebant. Alter quidam ut refert Heresbachius I. C. uxorem repudiabat, in ejus gratiam, et ipse parum gratiam habeat uxorem. Paulo ante citatus Clisophus cum Philippo exoculato prodiit, eodem oculo fascis obligato, quasi et ipse simili malo affectus esset. Si quem cibum acrem erit Philippus admoveat vultum Clisophus contrahebat, quasi et ipse sentiret acrimoniam. Hac igitur facerint vanissimæ istæ simiæ mensæ et nummorum gratia mortalibus sui similibus: Deo hæc non faciamus? Vanus est hominum favor, maxime si fide quærat. Sed Deo ut placeamus, omnes omni modo adlaborare debemus, non fingendo tamen. De heliotrophio scribit Plinius, l. XXII. c. XXI. quod cum sole se circumagat et noctu velut præ desiderio contrabat florem, tantum ei inesse solis amorem. Quod si flos imitatur solem, a quo gignitur et fovetur, nos non imitabimur Deum, et regem nostrum Christum, a quo toti dependemus? Porro non petit is a nobis, ut in iis, quæ potentia et majestatis ipsius sunt, ipsum imitemur; sed in iis, quæ hic in terris propter nos accepit. Quid autem propter nos accepit, nisi dolores, paupertatem, contemptum, et confusionem? Nusquam dixit Christus: Qui non ambulat super mare, vel non succitat mortuos, non est me dignus. Nec unquam dixit: Beati, qui futura prædicunt, morbos sanant, etc. sed: «*Discite a me non mundum fabricare, dicit S. Augustin. serm. X. de verbis Domini, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non ipso mundo mirabilia facere et mortuos suscitare sed quoniam mitis sum et humilis corde. Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Beati mites, beati*

CONCIO VI

QUA RATIONE SANCTUS ANDREAS CHRISTUM SECUTUS SIT.

I. Sectus est omnium primus. — II. Prompte. — III. Tempore incommodo. — IV. Simpliciter. — V. Cum profectu. — VI. Cum fœnore. — VII. Perseveranter.

THEMA.

Continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matth. IV.

Pro magno inter septem sapientum veterum dicta celebratur: *Sequere Deum*, ut ait S. Ambr. l. I. de Abraham, c. II. sed non minus magnum est, scire qua ratione sequi Deum possimus. Certe in veteri lege videbatur hominibus Deus nimis celeriter ambulare, nimis alta petere, et nimis magnos passus facere, non quia aliquid præscripserit, quod impossibile factu esset, sed quia non adhibebant homines modum, quo sequi facile possent, dum sarcinis terrenarum rerum seipsos onerabant, adeoque retardabant, quominus expedite sequerentur. Audi Cantica, cap. 11. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Arduum iter, magni passus. Quomodo hunc sequeretur, qui mundi retibus implicatus est? Idcirco ut doceret Deus modum hoc præstandi, descendit de cælo, et prævit nobis exemplo suo, paupertatem sectando, honores fugiendo, humilitatem amplectendo, castitatem, temperantiam, misericordiam, etc., quasi diceret: Sic est ambulandum. — Primo abjicienda sæcularia desideria et terrenæ substantiæ pondus, deinde, virtutes amplectendæ. Nimis difficile est esse castum inter choreas, humilem inter honores, amare Deum inter divitias, audire vocem ejus inter mundi tumultus, ipsi servire inter dignitates, mandata ejus custodire inter mundi laqueos, ipsi adhærere inter epulos, ipsum timere inter prosperitates. Abjicienda sunt hæc onera, si Deum sequi vultis. Id quod hodierno in evangelio docere incipit dicens: *Venite post me, relinquitte retia curarum sæcularium, navim divitiarum, parentes, etc. sicut me videtis ambulare sine his omnibus. Et videte qualem mox discipulum acquisierit, S. Andream scilicet, quam expeditum, quam accuratum magistri sectatorem.**

I. Sanctus Andreas omnium primus Christum est secutus; unde merito a quibusdam primus Christianorum vocatur. Patet hoc ex Joan. I. ubi audiens a magistro suo Joanne Bapt. Christum esse Agnum Dei, secutus est eum et invenit primum fratrem suum. Petrum scilicet (Græce habetur: *Invenit primum fratrem suum.*) Unde merito primus piscis dici potest, quem in hoc mundo cepit Christus. Quamobrem magnam prome-

qui lugent. » In talibus igitur eum imitari debemus ac possumus.

Deinde, hoc pacto Christum qui non sequitur, Christianus appellari non debet. Unde supradictus auctor libri de duodecim abusibus sæculi (qui Cypriano tribuitur sed male:) *Christianus, inquit, nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus prout valet cœquetur*. Possumus etiam mystice, totam pene Christi vitam omnes imitari. Nam si magno studio et desiderio templa et conciones frequentemus, cum duodenni Christo in templo residemus: si solitudini et quieti studeamus, colligendo sæpe animum nostrum, cum eo desertum intramus: si jejuniis vacemus, et corpus castigemus, cum eo jejunamus: si vitiiis et tentationibus fortiter resistamus, cum eo tentamur et triumphamus contra diabolum: si dicamus proximo verbum aliquod salutis, cum Christo prædicamus regnum Dei: si pro ægro et tentato fideliter oremus, visitamus cum Christo Lazarum: si oremus pro defunctis, cum eodem ad monumentum Lazari imus: si discrete et amanter corrigamus delinquentem, resuscitamus Lazarum et lucramus fratrem nostrum: si digne communicemus, cum Christo cœnamus, si ad humilia obsequia aliorum nos dejiciamus, cum eo pedes alii lavamus: si obediamus in re difficili, prompte et humiliter, cum Christo ad Olivetum imus: si in conflictu tentationum aliisque adversitatibus viriliter certemus, cum eo agonizamus: si abnegemus nosmetipsos per obedientiam christianam, et impositum nobis jugum æquanimiter geramus, cum eo crucem ferimus ad Calvariæ montem: si non pro amicis tantum, sed etiam pro inimicis Deum deprecemur, imitamur eum orantem pro suis peccatoribus: si mundo huic renuntiemus, et iis, quæ in mundo sunt, totoque corde ad cælestia feramur et festinemus, morimur cum Christo quodammodo in cruce et migramus ad paradysum: si perseveremus in Dei obsequio usque ad finem, dormimus et quiescimus cum Christo in sepulcro: si post contritionem et confessionem vitam emendemus, resurgimus cum Christo: si fugiamus tepiditatem et novum concipiamus ardorem serviendi Deo celebramus cum eo pascha: si parvi faciamus transitoria mundi bona, et sanctis mediatoribus inflammemur ad morem cælestium, in cælum cum eo ascendimus: si denique nos ipsos judicemus, Christum judicem imitamur. His et similibus modis si Christum imitemur, non possumus non ei maxime placere; et ita tandem in cælo quoque similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

retur laudem, ut qui exemplo suo animos aliis addidit Christum similiter sequendi. Hebræorum traditio est tribum Judæ ejusque ducem Aminadab non modo magnam promeruisse laudem, sed etiam, ut penes ipsam postea sceptrum et regia potestas esset, quod ipsa trepidantibus omnibus aliis prima descenderit post Moysem et Aaronem in mare rubrum, ut notat Titelmanus, in Ps. CXIII. et indicare videtur Oseæ XI. ubi dicitur: *Judas autem testis descendit cum Deo et sanctis fidelis.* Non minus certe laudis promeruit Andreas, qui primus omnium Christum, pauperem et humilem secutus est per iter arduum, et ante inusitatum adeoque ad ipsam crucem. Docuit autem hoc ipso non modo nos alacriter sequi Christum, sed etiam aliis virtutum exemplum esse. In primis enim quis dubitet sequi Christum, si piscatorem videat primum ejus sectatorem? Quid rudi, quid pauperius, quid abjectius piscatore? Et tu ergo non poteris quod piscator potuit? Luctabatur cum carne ante conversionem suam S. Augustinus, et continentiam impossibilem sibi putabat, tandem respiciens exempla sanctorum dicebat: *Ubi tot pueri et puellæ, ubi juvenus multa et omnis ætas, et graves viduæ, virgines, anus, tu non poteris quod isti et istæ?* lib. VIII. confess. cap. XI. Simili modo multi sibi persuadent quasi impossibile sit eis jejunare, per horam flexis orare genibus, sobrie et continenter vivere, paupertatem, humilitatem et crucem amplecti, peccata commissa in mentem revocare, et lacrymis eluere, injurias tolerare et oblivisci, pati se contemni, instrui, etc. O imbelles animi, annon prævit nobis Andreas ad paupertatem, obedientiam, contemptum, ipsamque adeo crucem? Piscator ista possit, et non possitis vos? Deinde, quis non ambiet primatum Andree, per quem ille ad maximam dignitatem erectus, et senior in collegio Christi factus est? Artium primi auctores et inventores magnopere celebrantur; quanto magis virtutum primi sectatores? Plurima sæpe bona fierent, si essent, qui præirent: sed nemo vult esse Andreas, nemo Aminadab, nemo esse primus: quasi ignominia esset primum esse honorum. Auditur forte inter aliquos pulsus ad orationem angelicam, vel cum sacrum viaticum ad ægros defertur, nemo invenitur, qui primus abrumpere colloquium, surgere de mensa, aperire caput et flectere genua audeat. Quid timidi estis modicæ fidei? Cum de primo discubitu agitur, de præcedentia ad offertorium, omnes seniores, omnes esse primi volunt, et cum Juda antecedere cohortem, ad tradendum Christum: ad virtutem vero et præcedentiam in regno cælorum omnes sumus novitii.

II. Prompte et expedite secutus est. Ad unam enim vocationem: *Venite post me*: imo ad ostensionem tantum Christi, Joan. 1. cum Joannes Baptista monstrasset ipsi (qui tunc discipulus Joannis erat) Christum ambulante, dicens: *Ecce Agnus Dei*, statim secutus est Jesum, quærens ex eo: *Rabbi ubi habitas?* Jesu autem dicente: *Venite et videte*, mansit apud eum die illo. Quæ de re audiamus S. Gregorium super hoc evangelium prædicantem, hom. V. in evangelium. « Audistis, fratres charissimi, inquit, quod ad unius vocem Petrus et Andreas relictis retibus secuti sunt redemptorem. Nulla vero hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, et tamen ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur? Et tamen vocantem sequi contemnimus. » Hæc Gregorius. Non desunt etiam nobis Dei flagella et Christi hortamenta. Quoties invitamur ut non solum festis, sed etiam aliis diebus missam audiamus? Quoties nobis dicitur: *Ecce Agnus Dei*, in altari scilicet expositus? Quoties audimus: *Ecce ibi habitat, venite et videte?* Et quam parvus eorum numerus, qui Andree exemplo Christum sequantur, quærant; adorent et vel per horam cum eo manere velint? Quid? An trahi ad tantum bonum debemus? Annon sufficit eum nobis ostendi? Certe si vobis extra hanc urbem non procul ostenderetur mons auro ditissimus: annon satisfaceret eum vobis ostendi? Num per lictores cogendi essetis ad exeundum et aurum colligendum? Certe non. Atqui Christus in eucharistia ecce plus quam aureus mons. Quod si importunus videor, qui eandem rem toties inculco, rogo, ne quis miretur. Nam et Johannes Baptista videns Jesum aliquando, dixit: *Ecce, Agnus Dei.* Sed cum id discipuli non adverterent, altera die iterum dixit: *Ecce Agnus Dei.* Et tunc secutus primum est Andreas. Quo loco observat Cyrillus, concionatorem posse et debere eandem adhortationem sæpius repetere, cum videt eam non observari.

III. Tempore, ut videtur, maxime sibi incommodo, secutus est; nimirum, cum piscandum esset et victus manu quærendus; mittebat enim eo momento rete in mare. Et tamen eo dimisso, statim secutus est. Poterat sane digere Andreas. Domine nonne vides me in pane lucrando occupari et jamjam expectare magnam piscium capturam, quomodo te sequar? Vel certe, sine me hunc jactum facere et retia extrahere. Nihil horum Andreas; sed *continuo relictis retibus*, inquit

Evangelista, *secutus est eum*. Nimirum Andreas jam intus illuminatus cernebat, quanti res sit momenti vocatio divina, quanto præstantior omnibus mundi bonis; siquidem ad regnum et vitam æternam dirigit. Unde negotium magnum aut necessarium æstimari debet, si cum negotio vocationis divinæ comparetur. Quis piscatorum non illico dimitteret retia et opus suum, si ei pro piscibus monstrares alium fluvium plenum unionibus et margaritis? Quis non mallet has piscari quam pisciculos? Regnum cælorum margarita illa pretiosa est, Domino teste, omnibus mundi bonis præstantior, quam omnibus monstrat Deus. Quid omnia temporalia respectu illius sunt? Quid mundus nisi navicula lacera, inconstans, fragilis? Quid terrena omnia nisi retia, quæ innumeris curis et sollicitudinibus implicant et involvunt suos amatores, usque dum a piscatore dæmone maectentur? Et tamen, o quam levi de causa patiuntur se retineri homines, ne post Christum eant et margaritam cælestem sibi acquirant; alius retinetur ab hominum judiciis, quibus vult placere, alius a societate, alius a vilissimo lucro, alius a propriæ carnis teneritudine, etc.

Unde fit ut nullo tempore eis commodum sit sequi Christum. Et fit illis quod Dionysius tyrannus Siciliæ rex dixerat, cum Jovi Olympico tunicam auro et gemmis gravem abstulisset, eam ipsi incommodam esse, siquidem in æstate nimium gravaret, hieme vero nihil calefaceret: ita cum vocantur ad sacram missam, hieme frigus, æstate calorem causantur: cum ad penitentiam juventuti indulgendum dicunt, senectuti committendum: cum ad confessionem: *Sanus sum respondeus*, adhuc sat esse temporis; æger vero, nimis tarde te moneri etc. O quam dolebunt in judicio vani illi piscatores, qui omne suum tempus et operam inani divitiarum, honorum, scientiarum, favorum, voluptatum piscationi impendunt, et nihil emolumenti inde inveniunt in suis retibus? Audi Isaiam, cap. XIX. *Marebunt piscatores et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.* Illis nimirum verbis, sap. V. *Quid nobis profuit superbia, inquit, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, etc.* Marebunt etiam propter fluminum siccitatem, ait Hector Pintus in eum locum: quia videlicet, cum in tempore vocarentur ad piscandam cæli margaritam, piscari noluerunt. Unde cum piscari aliquando volent, non poterunt; quando scilicet flumina siccabuntur et tempus non erit amplius.

IV. Simpliciter secutus est, non discutiendo quorsum vel qua ratione sequi deberet, vel unde

in posterum victurus esset. Potuisset Andreas dicere: Domine, tu cum sis pauperrimus, unde mihi victum dabis? Deinde, qualem tu ex me facies piscatorem hominum? Num prædicatorem, oratorem, gentium doctorem ex rudi piscatore? Nihil horum cogitavit Andreas, sed totum id commisit Christo: et instar Abrahæ secutus est Dei vocem nesciens quo iret. Nimirum uti ægrotus non solet inquirere quare hoc, vel illud pharmacum ei præscribat medicus, sed quicquid tandem præscribat, libenter et confidenter accipit, non dubitans quin melius rem intelligit medicus quam ipse, ita fecit Andreas. Multa sunt præcepta sint a Christo, vel Ecclesia, vel aliis superioribus; veluti quare communio, confessio, dilectio inimicorum, etc. præcepta sunt a Christo, cur ab Ecclesia communio sub una tantum specie, tot jejunia et festa, confessio annua et similia institua, etc? Cur a magistratu hæc, vel illa jubeantur? In quibus si errare nolis, claude oculos et recipe pharmaca, tamquam a prudente medico tibi præscripta. Sic enim Deo magis placebis et securus eris? Magis placebis, quia ejus consilia tuis præfers. Ita enim et Esther non quæsit sibi mundum muliebrem: *Sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornamentum dedit, ut dicitur Esther?* II. factumque ut Esther superaret pulchritudine omnes alias virgines, quæ sibi ipsis ornatum, quem voluissent, elegerant. Sic etiam Deo magis placet cæca obedientia, quam videns et curiosa, quia mavult credere Deo quam sibi. Deinde, securus eris, quia referre te ad ductorem et legislatorem poteris. Et quam facile possemus a nobis transferre onus reddendæ coram Deo rationis in dorsum superiorum et confessoriorum nostrorum, si eis vias nostras revelaremus, vel eorum consiliis staremus? Quis enim vidit unquam cæcum vituperari aut cædi, qui a ductore in locum vetitum inductus est? Auctor cæditur, non cæcus. Inde cum Diogenes aliquando puerum indecore, se gerentem vidisset, pædagogum ejus baculo percussit, dicens: *Cur sic instituis?* Priscianus. Sic Deus puniet magistros, non discipulos, si eorum ductu errent.

V. Cum profectu secutus est. Erat enim primo discipulus Joannis, postea Christum secutus est, sed quasi ad familiaritatem tantum et colloquium. Deinde, post vocationem in hodierno evangelio, quasi ad discipulatum. Denique post copiosam illam piscium capturam, quasi ad apostolatam et perfectam sequelam. Ita paulatim Andreas de gradu in gradum, de perfectione in perfectionem ascendebat.

Primo, audiens Christum concionantem, fami-

liaris ei factus est; secundo, audiens se vocantem, discipulus; tertio, videns miraculum, apostolus; denique, videns crucifixum, martyr factus est et ipse crucem ascendit. Ubi docemur ejus exemplo, ut quotidie conemur fieri meliores; singulis annis saltem vitium aliquod eradicare et virtutem aliquam novam addiscere. Quemadmodum et cervus singulis annis ramum unum cornibus suis adjicit, ut scribit Pierius, lib. VII. hierogl. et olor, quo senescit magis, tanto suavius canit et tandem in morte suavissime, ibid. lib. XXIII. turpe est homini, qui ætatem adjiciens, virtuti nihil adjicit, qui semper eandem occinit cantilenam. Certe si parentes habeant filium studiosum, qui in eadem semper classe desideat nec ascendat de schola in scholam, eum a studiis remonent, et manuum labore occupant. Similiter neque Deo placere possunt, qui nihili pensant habent, utrum in virtutibus gradum faciant: *Pueri centum annorum*, ut ait Isaias, c. XXV. et ut dicimus nos, Joannes in eodem. S. Hieronym. ad virgines sacras ait: *Omne tempus, in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse*. At quam multisunt, qui sufficere sibi putant, si singulis annis semel confiteantur, per quadragesimam semel in hebdomade jejument, festo die missam audiant, semel in anno eleemosynam faciant, et de profectu nihil cogitant? Similes hi sycomoris, qui ficus nunquam maturescentes gignunt. Sed quid dico de profectu? Utinam non saltem magis et magis in dies deficeremus! Sane in ea deveniemus tempora, de quibus ait Dominus. Mat. XXIV. *Refrigescet multorum charitas*. Apparet hoc in sanctissimorum sacramentorum perceptione, concionum et missarum auditione, circa quæ in dies magis magisque refrigescimus. Imitamur non Andream, non cervum, non olorem, sed potius milvum, qui in juventute quidem prædatur aves alias instar accipitrum, sed quo profectior fit, eo segnior. Postmodum enim muscas capit et vermiculos, ac demum omnino fame perit, ut refert Gemin. de exempl. et simil. lib. IV. cap. XXXVIII. Ita onitio plurimi ferventes se ostendunt in fide et pietate, cum vel ad fidem conversi sunt, vel novos concionatores nacti, eorumque exhortationes sedulo audiunt, postmodum muscas tantum inde capiunt; ad extremum conciones omnino fastidiunt, et verbi Dei fame pereunt: simillimi Hebræis, qui manna cælo lapsum primo valde suspiciebant, dicentes: *Manhu?* Quid est hoc! tandem vero ejus mauseam ceperunt, Num. XI.

VI. Cum fenore secutus est; adduxit enim quamprimum etiam fratrem suum Petrum, ut habetur, Joan. I. idque magna cum festinatione et gaudio: *Invenimus Messiam*, inquit, et adduxit

eum ad Jesum. Ad ejus exemplum etiam facilius haud dubie secuti sunt Jacobus et Joannes. Nimirum uti columbæ, alias ad columbarium suum attrahunt, quemadmodum scribit Plinius, lib. X. cap. XXXVII. dicens: *Est ars inter se blandiri et corrumpere alias furtoque comitatores reverti: et sicut annulus a magnete tractus, eandem vim trahendi participat, et vicinos alios ad se trahit annulos, quod vidisse se scribit S. Augustinus, lib. II. de civit. cap. IV. sic faciebat et Andreas et faciunt cæteri justi laudabili sane furto; non enim putant satis esse, si ipsi invenerunt Messiam et viam cæli, quinimo toti elaborant, ut eandem in viam alios quoque ducant. Justi autem columbæ sunt, id est, Spiritus sancti alumni, unde gaudent alios quoque salubriter inescare, ut secum ad columbarium suum, id est, Christi gremium, accedant. Hinc Isaiæ LX. de Apostolis dicitur: *Qui sunt isti quasi columbæ ad fenestras suas?* Propterea scilicet, quod adducturi erant filios de longe ad Christi columbarium, ut patet ex sequentibus. Hinc quamprimum adductus ad Christum Petrus ab Andrea fuit, statim dixit eum Dominus filium columbæ: *Tu es Simon filius Jona*, id est, columbæ: quia scilicet Andreas prima columba adduxerat secundam, Joan. I. Sunt item annuli in manu Dei, juxta id Jerem. XXII. *Si fuerit Jechonias annulus in manu mea, etc.* laborant igitur, ut alios quoque attrahant, adeoque catenam quamdam et torquem in collo Christi faciant. Jam sicuti apostoli columbæ et annuli Christi erant, ita debent esse Christiani, et præsertim superiores, qui sint columbæ ad fenestras, id est, pietatis et virtutum publicæ exempla præbeant et subditis præeant, qui statim advolarent, si viderent ad fenestras esse columbas illas, id est, superiores suos. Propterea Julius Cæsar tot tamque strenuos milites semper habuit, quia nunquam dixit militibus: *Ite*, sed: *Venite*, nec eos milites vocabat, sed commilitones, ut refert Holcot. in Sap. lect. CXXIX. similiter et Christus in hod. evangelio: *Venite post me*, inquit. Eodem modo magistratus dicere debet: *Venite ad rem divinam, etc.* alioqui si ipsi non sedeant in templo ad fenestras sedium suarum, non mirum si etiam populus non advolet. Sed etiam frater fratrem, annulus annulum trahere post Christum debet, maxime qui alteri socius fuit ad peccatum, sit etiam socius ad penitentiam: cujus rei illustre exemplum scribit Josephus Ballardinus, lib. II. cap. LXXII. in prato florum, de duobus histrionibus, qui locis et factis hominum plausum et crumenas captabant; quorum alter tandem infelicis vitæ pertæsus, a socio se subduxit et specum sibi delegit, in quo*

prioris vitæ licentiam puniret: alter amissum socium impigere requirens, tandem aliquorum indicio reperit in ea, quam dixi, specu. Ergo illum ad priorem vitam sedulo prolectare cœpit, nihil non attentans, sed frustra. Tandem inclusus, cum socii importunitatem diutius ferre non posset, pia excogitata fraude, fingit se in vota ejus concessurum et specui valedicturum. Fune igitur extractus (nam alia emergendi via non erat) et cum collusore suo aliquantum progressus: *Hem, inquit, infelix ego zonam nummis plenam a piis collectam reliqui in caverna, si placet redeamus et nobiscum auferamus*. Lætus hoc nuntio alter ad speluncam revolat et hortatu socii in specum descendit. Capta et inclusa hac avicula, ille qui prius se incluserat, funem quo demiserat socium, attrahit, et os speluncæ saxo claudit. Alter se inclusum videns, ad socium vociferari et extrema omnia minari, quin et Deum blasphemare; sed eum consolatus iste jubet bono animo esse, peccata sua deslere quemadmodum et ipse fecisset, ut qui socii erant scelerum, forent et penitentiam, interim Deum pro illo precibus fatigat: nec frustra, nam sensim illustratus alter, cœpit in se descendere, peccata sua agnoscere et accersita confessario expiare; et jam non invitatus, sed ultro una cum socio speluncæ adhærere, reliquumque vitæ tempus in summa austeritate inibi traducere, magne accolarum stupore et ædificatione.

VII. Perseveranter adeoque ad crucem usque; quam ita amanter amplexus est, tam blande salutavit, quam nemo unquam sponam suam; et tamen crux erat et martyrium. Unde S. Bernard. serm. II. de S. Andrea stupens ait: «Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc annon est homo, sed angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane similis nobis passibilis.»

Sed mirum Andreas aspexit crucem, non ut supplicium, sed ut penicillum quo ipse illustrari et magistri sui imago fieri deberet: hinc illa exultatio. O quantum ab hoc apostolo distamus, qui Christiani dici quidem volumus, Christum tamen minime sequimur ad crucem? Sequuntur enim aliqui sed cum Juda ad cœnam usque, et sunt qui ob lucrum temporale serviunt. Item qui ideo tantum fidem catholicam amplectuntur, quia pinguem conditionem, vel opulentam conjugem nacti sunt: qui filios vel seipsos, vel religioni aut sacerdotio addicunt ut inde emolumentum vel promotiones capiant. Item universim qui volunt in regno cœlorum epulari cum Christo in ejus mensa, sed hic nolunt eum imitari, aut aliquid pro ipso pati. Alii sequuntur usque ad hortum ubi Christus captus est, non usque ad pas-

sionem: quemadmodum juvenis ille sequens Christum ductum a militibus, qui ubi ab iisdem apprehendi cœpit, relicta sindone fugit, Marc. XIV. et tales sunt, qui tandiu Christum sequuntur, quamdiu non offendantur. Ubi enim cœperis defectus et vitia eorum carpere, ibi terga vertant; laudant quæ dicuntur in concionibus, modo ipsi non tangantur, ubi maxime saucii sunt. Sicut canis qui patitur se undique attraheri, sed ubi vulnus ejus tetigeris, ibi ejulare et oblatrare incipit. Quod expertus est in Herode Baptista, qui in cæteris libenter auditus, incestum ejus ubi tetigit, odiosus factus est. Item qui seipsos quidem humiliare non dubitant, sed ab aliis humiliari ac vel uno asperiori verbo reprehendi non sustinent. Alii sequuntur Christum cum Petro usque in atrium principis sacerdotum, sed cum a turba objurgantur, eum negant, pernegant, et ter negant: uti sunt qui inter hæreticos dum versantur, ab iis objurgati propter religionem a proposito dejiciuntur, cum ipsis carnes vorant vetitis diebus, detrahunt catholicis, etc. Item qui in sociorum gratiam vino sese obruant, aut in alia scelera præcipant, vel a bonis propositis resiliunt.

Alii sequuntur usque ad crucem cum Cyrenæo, sed non usque ad crucifixionem: conspecta enim cruce horrent et recedunt, nec in crucem figi volunt. Tales qui proponunt nihil negligere sacrum festis diebus, nulli pauperi eleemosynam negare, nullum jejunium infringere, nunquam execrari, sed ubi tentatio occurrit, resiliunt uti caneri obstaculo quopiam impingentes, negligunt sacrum, ob vilissimum lucrum, violant festa, execrantur et meniuntur ab res nãili. Non ita S. Andreas qui conspecta cruce magnopere lætatus sibi gratulatus est. Alii denique ad crucifixionem usque, sed in ea non perseverant. Tales qui penitentiam, afflictiones, paupertatem, contemptum, morbos, injurias libenter quidem acceptant, sed tamen crucis pertæsi descendunt ad impatientiam, contra Deum murmurant, sicut populus Hebræorum, cum in deserto cepit tedium itineris ac laboris, ideoque murmurans contra Deum et Moysen regredi in Ægyptum voluit. Non ita S. Andreas, qui deponi de cruce noluit, et Deum precatus est, ne deponeretur cum biduo pependisset. Alii denique sequuntur usque ad crucem, et in ea permanent. Et his solis dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*